ORATIO FUNEBRIS

Inter annua Inferiarum ſolemnia

ALMÆ SODALITATIS

LATINÆ MAJORIS

SUB TITULO

MARIÆ

Glorioſè in Cœlos Aſſumptæ

In

Academico Societatis JESU Collegio

Olomucii erectæ, & confirmatæ,

Pro

Piis Ejusdem Sodalium Manibus dicta,

ORATORE

REVERENDO, ac DOCTISSIMO PATRE

P. JOANNE SLESINA

è Societate JESU,

AA. LL. & Philoſophiæ Doctore, in Alma, Cæſarea, Regia, ac Epiſcopali Univerſitate Olomucenſi Theol. Moralis Profeſſore Regio, Publico, ac Ordinario, nec non Facultatis Philoſophicæ Seniore.

Annô MDCCLII. die Menſis Auguſti.

CUM LICENTIA ORDINARII.

Olomucii in Metropoli Moraviæ, Typis Franciſci Antonii Hirnle.

ORATIO.

QUod luctuoſiſſimum olim ad communem hominum mœrorem faciebat quàm plurimùm, cùm chariſſimos quosque à ſe identidem avelli, & inevitabili mortis legi ſubjectos, umbris mancipari cernerent; id mira hodie converſione adeò luctuoſum, atque triſte videri non debet, ut potiùs uberem gaudendi, atque ſortem beatam gratulandi copiam ſufficiat. Eſto Xerxes ille Perſarum Rex potentiſſimus, orbis timor, ac tremor, devictis Regibus, ſubjugatis regnis, & provinciis, ſubrutis montibus, ipſi etiam oceano injectis compedibus, mœrore victus, lacrymis immaduerit, cùm è ſublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem exercitum contuitus animô reputaret, poſt centum annos nullum eorum, qui tunc oculis obverſarentur, ſuperfuturum; alio tamen vultu mortis nunc contuemur inclementiam, ſiccis oculis, ſerena fronte, ſpectamus funera, non lacrymis, ſed fauſtiſſima gratulatione juſta perſolventes.

Enim verò quid aliud conſilii tibi, in hunc ſuggeſtum me evocanti inſedit Alma Sodalitas? niſì ut Sodalibus tuis à ſæculo, & ultrà vitâ functis, quorum magna hoc iterum anno facta eſt acceſſio, debitas cum gratulatione laudes publico nomini concinnarem? Nec abs re: à quo enim glorioſa cœli, terræque Regina, Mater Omnipotentis, Admirabilis vitæ Genitrix triumphantem Filium ſuum, devicta morte, ſecuta eſt aſſumpta in cœlos, jam indè mœror, atque luctus, ſin minùs abſceſ-

ſit

ſit penitùs, primas certè celebritati lætiſſimæ, atque gaudiis detulit, propterea: quòd vitæ mortalis terminus initium eſt beatioris, nullos unquam terminos habituræ, mórsque ipſa, quæ lacrymas, & triſtitiam priùs attulit, DEI Matris ſervos, ac filios perfectos, beatósque efficit, adeò, ut eorum virtus, & felicitas nulli jam obnoxia ſit mutationi.

Et quanquam non ità ſenſum omnem exuiſti Alma Sodalitas, ut in tot, tantorúmque corporum funere, nè levi quidem mœrore tactam, te perſentiſcas, quandoquidem ſinè dolore non amittitur, quod cum amore poſſidetur, nec innubi fronte ab eorum conſvetudine divellimur, quos ſanctum amoris mutui vinculum arctiùs nobis copulavit, tamen mœrorem, quantuscunque is eſt, proſpera eorum ſorte, de qua non in vanum confidere licet, ità temperas, ut uberrimo gaudio, atque tenero animi geſtientis ſolatio detractum nihil videatur.

Inde lugubrem quidem apparatum doloris, ex amore nati teſtem, more recepto inſtruis, funeríque chariſſimorum tuorum mœſtitia quadam parentas; ſimul autem erectô, nec ſpe melioris ſortis excuſsô animô tripudia deſtinas, gratulationes exigis, felicitatem eorum, quos amiſſos doles, oratione proſequendam mihi committis Oratori, bene gnara mortem eorum, qui totos ſe Vitæ Genitrici, Glorioſæ Virgini in cœlos aſſumptæ mancipio dederunt, non tam vitæ eſſe terminum, quàm beatioris, quæ cumulata bonorum omnium, & nunquam interitura poſſeſſione gaudet, eſſe initium. Et meritò: Tu namque ſub auſpiciis Omnipotentis Matris viventium congregata nihil commune cum deploranda morte habes, Tu filios tuos in ſinum Vitæ, quæ vitam genuit, contuliſti, Tu mortis horridæ horror facta, arcus, & ſagittas ejus confregiſti, Te Vita, & Victoria ſequitur.

Quod dum ego hodie voluntate tua ad honorem Glorioſæ Virginis in cœlum aſſumptæ, Sodalium defunctorum virtuti meritum encomium, viventium ſolatium, & virtutis incitamentum, non tam demonſtrare, quàm jam dudum demon-

ſtratum repetere meditor, Te ego Senatus, Populéque Mariane, vósque Auditores humaniſſimi benevolas favere aures, & dicere parantem auſcultare patienter, flagito, ut velitis.

Cùm Sodalibus tuis ſortem beatam, omníque voluptate redundantem poſt fata obtigiſſe, non vanus augur aſſertum eo, nihil ego à veritate alienum, nihil inſolens, atque inconſultum, nihil denique à majorum inſtitutis, communíque Eccleſiæ ſenſu molior abhorrens; Tametſi enim certum quid, atque exploratum omnino de eorum ſtatu non habemus, quos transacto mortalis ævi curſu æternitas ſinu excepit ſuo, aut merita laturos præmia, aut pro demeritis luituros ſupplicia, utrà autem harum ſors huic præ illo obtigerit, absque divini judicii manifeſtatione unumquemque noſtrûm fugit; tamen vehemens adeò pro his ſtat fauſtiſſimæ ſortis præjudicium, qui ſe Magnæ Dominæ ſervulos, Patronæ clientes, Matri viventium filios, dum vita ſuppeteret, addixêre, ut eandem dubiô procul indeptam gratulari nos poſſe, meritò confidamus.

Neque hæc mea duntaxat, aut aliorum magnificentiùs, atque ad inanem laudationem exquiſitiùs, quàm veriùs ſentientium eſt opinio, omnes, quibus ſanior, atque à rerum divinarum, humanarúmque notitia inſtructior eſt intelligendi vis, & perſpicacitas, uno id mecum ore enunciant, unanimî ſuffragiô ſtabiliunt, ambiguitate depulſa confirmant. Quid? quòd & ipſa SS. Paginarum Authoritas inconcuſſa, haud obſcurè ad ità ſentiendum nos inclinare videatur.

Enim verò quid eſt, quòd ſapientiſſimus poſt homines natos, Solymæ Monarcha in ſuis, afflante divino Spiritu, conſignatis, atque myſteriorum plenis proverbiis, absque eo, ut dubio locus ſit, enuntiet, eos vitam inventuros, & ſalutem á Domino hauſturos, qui ſapientiam invenirent? Quid eſt, quòd beatos prædicet, qui cuſtodiunt vias ejus, dicto audientes ſunt, vigilant ad fores illius quotidie, & obſervant ad poſtes oſtii illius? Equidem ſatìs perſpectum habeo iſtud de Increata Sapientia, exactiſſimè omnia ad præſtitutos fines ſuos ordinante, accipi debere;

bere; per Illam etenim DEUS ab æterno concepit, dixit, & fecit omnia, per Illam, velut Ideam ſapientiſſimam, architectatus eſt cœlum, terram, totúmque univerſum. Verùm ſi reconditiores Oraculorum divinorum ſenſus, myſteriáque literæ incluſa, quantum humanæ imbecilitati fas eſt, ſollicita indagatione inquiramus, non minùs verè, quàm appoſitè de Increatæ Sapientiæ Matre, Vitæ Genitrice MARIA idipſum intelligi oportere, manifeſtè perſpiciemus.

Nam hæc auguſta illa cœli, terræque Domina eſt, quæ mundo mortuo vitam genuit, Salvatorem dedit: quidnî, qui hanc continuo obſequiorum, & pietatis filialis genere invenerint, vitam pariter ſe inveniſſe, ſalutémque hauſiſſe gaudeant? Hæc illa, quæ toto cœlo aberranti humano generi veram beatitatis viam aperuit, cùm puriſſimis viſceribns eum in lucem dedit, qui Via, Veritas, & Vita eſt: quidnî beati, qui viam ejus cuſtodiunt? Hæc illa Mater Admirabilis, quæ ab æterno ſinè Matre genitum Verbum Salutis, temporibus præſtitutis carne velatum, ad recuperandam, quæ amiſſa erat, beatitatem abſque Patre protulit: quidnî beati, qui dicto ejus audientes ſunt? Hæc demum illa aurea cœli Janua, in qua cardo ſalutis humanæ vertitur, per quam aditum ad ſe, felicitatémque ſempiternam patere voluit Numen benigniſſimum: quidnî térque, quatérque felices ſint, qui ad fores has quotidie vigilant, & hyperdulica pietate, ad poſtes illius obſervant? Certè qui dignè coluerit illam, juſtificabitur;

Jam verò ſi tantum vel ex hoc capite beatæ fiduciæ habemus argumentum, quid eſt quod nos anxia ſolicitudine de Sodalium, vitâ functorum, ſorte ancipites etiamnum detineat? & non potiùs ingenti fiducia erectos, ſentire faciat, actum illis, quam cum quibus optimè, nec tam mortem illorum temporalem lugubri lamentatione, quàm vitam ſempiternam fauſtiſſima gratulatione proſequendam? Ego ſanè ità mecum ſtatuo, piis Sodalibus tum maximè obſequii Mariani ſui fructum effloreſcere, cùm marcent membra, immitíque falce vita ſuccidituṛ, tum eos vitæ aſſertos lætiſſima beatitatis luce perfrui, cùm

ſuperatâ ultimâ mortem inter, & vitam luctâ, depoſitum carnis pondus triſtibus ſepulchri umbris committitur, tum eos tranquilla, & pacata habere omnia, cùm de ſingulis videtur conclamatum. Eſto namque: pleniſſimus periculi ſit ille mortis, & vitæ acriter confligantium articulus, quo de tota æternitate decernitur, certa nihilominus de morte ſpes eſt victoriæ, ubi Vitæ Genitrix filiis ſuis ſubſidio eſt, atque præſidio. Facile eſt, non ambigite Sodales Mariani! prælium inire, è Turri eburnea hoſtem provocare, facilè præſente Terribili, ùt caſtrorum acie ordinata dimicantem propugnante, hoſtiles inſultus comprimere, facilè in Janua cœli mortem proſternere, noménque conſequi immortale.

At enim: utcunque iſtud exploratum ſit, atque extrà dubitationem poſitum, unum tamen animis veſtris AA. inſidere haud obſcurè intelligo, quod, quo minùs dictis meis aſſenſum omnino præbeatis, etiamnum prohibere videtur. Video vos ultro aſſeveratione veſtra ſententiam meam comprobare, capite annuere, & ſumma voluntate orationi meæ acquieſcere, cùm de Matris DEIparæ poteſtate maxima, & voluntate piiſſima quidpiam ad aures appellit, agnoſcitis, nulláque vos inter, & me controverſia intercedit, cùm maximum robur, ac præſidium Vitæ Genitricis erga clientes deprædico, ſententiæ meæ absque cunctatione ſubſcribitis, veſtrámque aggregatis, cùm quid fiduciæ in hac cœli, terræque Regina mortalibus repoſitum ſit, ſtricta, atque imbecilli oratione proſequor. Verùm an præpotentem Matris intemeratæ amorem adeſſe ſibi meriti ſint filii, haud paucis culpis obnoxii, an robur, præſidiúmque Vitæ Genitricis impenſum ſibi ſenſerint mortales labiles, an cùm terras linquerent, cœlorum adita penetrare potuerint cœli, terræque Reginæ famulantes tot, tantique lutô fragili compaginati ſervuli, hìc enim verò ſpem inter, & metum animus fluctuat, ſuſpensô judiciô veremini.

Non ſuccenſeo AA., neque enim is ego ſum, qui indiſcriminatim, atque temere, velut arcanorum divinorum conſcius, omnes eos hæreditatem divinæ gloriæ adiiſſe aſſeram, quicun-

que

que Sodalium, filiorum Marianorum nomine censentur; audax sim, atque consilii impotens, istud si vobis coram non stabilire modò, sed inconsultô etiam dictô asseverare contendam; Non hoc meum propositum, nec tuum Alma Sodalitas, in laudem tuorum dicere jubentis, est desiderium, illud ajo, quod & sentire de Piissimæ Matris benignitate licet, & de Vitæ Genitrice decet, eos nimirum, qui non nomine duntaxat, sed morum probitate etiam, virtutum studiis, vitæ ad leges divinas, Marianásque compositæ integritate se veros MARIÆ filios, Patronæ clientes, Dominæ servulos præstare connisi sunt, ad eam, de qua loquor, beatitatem, ùt conjicere fas est, pervenisse.

Tales autem haud exiguo numero fuisse, quos syllabo tuorum insertos legebas Alma Sodalitas, profusô eloquiô commonstraverim, prolixiori mihi esse si liceret. Vellem hìc ego, Oratori foret facultas, ità compendiaria narratione singula omnigenarum virtutum decora ingenerandi animis, quemadmodum vastissimæ quæque regiones, spatiosissimi terrarum tractus geographices beneficiô angusta in tabula fidelibus subjiciuntur oculis, sperarem equidem fore, ut non piam minùs religiosissimarum virtutum scenam, quàm illustre heroicorum facinorum intuerêre theatrum, quod emerita Sodalium tuorum pietas triumphantibus MARIÆ filiis in spectaculum, militantibus adornavit in incitamentum.

Enim verò spectandum hic objicerem zelum erga Matrem intemeratam, quo illam in publicis processibus supplices honorârunt; Objicerem Eucharisticum ardorem, quo inter Mariana solemnia in hac basilica panem Angelicum intimis præcordiis receperunt, extensas in cœlum palmas, quibus gliscentem in animo pietatis favillam, in lucem produxerunt, propitium sibi, & Orbi Numen reddiderunt. Objicerem pœnitentis animi gemitus & lacrymas, quibus in nævis conscientiæ emaculandis vultum dolentem irrigârunt, altissimam humilitatem, qua, Orbis Magistri pressuri vestigia, ad abluendas egentium Sodalium plantas quot annis se se abjecerunt, profusam liberalitatem, qua inopiam eorundem sublevârunt; Munificen-

tiam,

tiam, qua vel ex ultima voluntate, aut congenito benefaciendi desiderio ærarium Marianum locupletârunt. Objicerem ardentem charitatem, qua migrantibus è mortalitate fœderatis animabus hostiâ propitiatoriâ ad interminabilem gloriam aditum fecerunt.

Quanquam quid est, quòd de objiciendis cogitem, quæ dudum ità in oculis versantur omnium, ut simul in animis & ore circumferantur universorum. Vestra virtutum appello monumenta pii Sodalium Manes! qui ab anni unius curriculo vivis exempti, tanto nihilominus vivitis amplius, quantò virtutis, & pietatis vestræ decora in virenti memoria vivunt augustius. Nihil nunc in truculentam mortem invehor, cujus inclementia migravit in amorem, furor in favorem, vulnus in salutem, funus in vitam. Namque hæc beatarum mentium est conditio, ut dum moriuntur, vivant, dum extinguuntur terræ, accendantur cœlo, imò inter cineres feliciùs etiam vivat mundo virtutis meritum. Istud ut exploratum, atque extrà controversiam positum omnino habeatis AA. agite, mecúmque virtutem vel in cinere legite, urnas verente palpebra inspicite, sin minùs omnium, quod temporis prohibent angustiæ, eorum certè, quorum existimatio, atque dignitas oculos intentos, animúmque meritò postulant, & erit, ut perspecta vel in paucis virtutum immortalium ornamenta manifestum faciant, quàm præclarè de cæteris pariter, qui eodem Marianô institutô vitam suam moderabantur, sit existimandum.

Primus, cujus verendi cineres intentos nos esse jubent est: Reverendissimus, Illustrissimus, ac Excellentissimus D. D. Rudolphus S. R. I. Comes à Schrattenbach L. B. in Hegenberg, & Ostervitz, Dominus in Pragvald, Lemberg, & Salach, utriusque Sacræ, Cæsareæ, Regiæque Majestatis intimus, actualis Consiliarius, Cathedralis Ecclesiæ Olomucensis Canonicus, ad Sanctam Annam ibidem Rector perpetuus, nec non Regiæ Collegiatæ Ecclesiæ in Monte Sancti Petri Brunæ Præpositus Infulatus.

Siste

Siste Viator!
Et grandia modicæ urnæ inserta lege merita:
Hoc uno sub marmore
Mirare,
Illustrissimum, Reverendissimum, Excellentissimum,
Ex his tribus concludes omnia.
Hunc
Sanguis Illustrissimum, Virtus Reverendissimum,
Sapientia formavit Excellentissimum.
Cum Sanguine sublime Nomen traxit à Majoribus,
Sed hoc ipsum factis suis illustrius reddidit:
Fumosas Majorum imagines
Suas arbitrabatur tenebras,
Nisi hæreditariæ virtutis luce eas illustraret Nepos
Majore gloria.
Hæc
Virtutis comes individua cum sit,
Indè abesse non potuit,
Ubi virtus excelsior domicilium posuit,
Sublimis hæc enituit,
Purissimóque splendore intentos perstrinxit oculos.
Illa
Quò altiùs emineret, latiúsque fulgorem spargeret,
Sublimia non ambientem, in montem S. Petri evexit,
Ecclesiæ Collegiatæ Præpositum infulâ coronavit.
Tam sublimî locô constituta virtus nec Summos, nec imos latuit:
Mirati sunt imi,
Summi meritos destinabant honores.
Vidit Aula Cæsarea Regiáque infulatum caput, in montis vertice eminere,
Et virtuti junctam non vulgarem suspexit Sapientiam:
Hanc
Quò latiùs in bonum publicum dimanaret,
Viennam ad intimorum conclavium consilia evocavit,
Dum Ecclesiæ Præpósitum,
Magni Consilii voluit Angelum,
Intimum Sac. Cæs. Regiæque Majestatis Consiliarium.
Tantis ornatus honoribus
Non inanî gloriabatur titulô,
Sed ingentibus meritis
Reipublicæ quà sacræ, quà Politicæ satisfecit desiderio,
Sacra cum profanis mirâ sapientiâ temperans.

Ad hæc
Qui publicis eximiè verſatus eſt in negotiis;
Privata cumprimis pauperum non dedignatus eſt curare commoda,
Hos ubique jacentes liberali erexit dexterâ,
Divite conſolatus eleemoſyna,
Genuinus Matris miſericordiæ filius.
Sic divino honori augendo,
Bono publico, & privato pauperum intentus,
Mundo vivere deſiit, Brunæ 31. Julii 1751.
Æternum victurus.

Alter, cui emenſo labilis vitæ curſu æternùm beatam gratulamur, eſt Reverendiſſ. ac Illuſtriſſ. D. D. Wilhelmus Felix S. R. I. Comes, & Dominus à Rogendorff, Lib. Bar. de Mollenburg, Dominus in Reitz, & Gedownitz, Cath. Eccl. Olom. Canon.

Quam Gratia, & Natura
Spem Reipublicæ promittebat maximam,
Invida, truculentáque mors ſubitô, immitíque fatô fefellit,
Et tumulô ſepelivit,
Cùm Virum hunc Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. florente etiamnum ætate ſtravit.
Valentem optimè ſubitò ferali aggreſſa eſt jaculô,
Sed improvisè, aut in imparatum irruere non potuit,
Quem triduo antè pane fortium roboratum deprehendit.
Iſtud ut eſſet,
MARIANA diſpoſuit pietas,
Qua incitatus ſolemnia MARIÆ de Portiuncula
Piiſſimè ſuſcepit colenda,
Sacramento pœnitentiæ à noxis abſolutus,
Epulóque divinô refectus.
Sic:
Quod Virginis glorioſæ impenſum voluit honori, & amori,
Mater amore vinci neſcia, in bonum vertit amanti,
Ut in fortitudine cibi illius ambularet, usque ad montem DEI.
Non ambige!
Felix infelici licèt ad ſpeciem fatô diem clauſit ultimum,
Qui nullum, dum viveret, claudi paſſus eſt
Quo non Matrem viventium coronæ precibus veneraretur.
Verùm
Tenuis amanti MARIÆ filio viſa eſt pietas,
Quæ animô tantùm ferveret ſuô;

Huic

Hinc cura Ejus assidua, ut latius promoveretur in proximo;
Hac effecit
Ut Slobii ad B. V. Matrem dolorosam nasceretur confraternitas,
Quæ numerosissimos dolenti Genitrici pareret consolationis filios,
Honori, & amori Virgineo ex asse dicatos,
Cultúsque Marianus se Authore etiam mortuo viveret in aliis.
His
Copiosè ad gratiarum fontem concurrentibus,
Nè deesset, qui gratiæ obicem tolleret,
De Sacerdote ibidem stabili providit,
Qui gratiâ exclusos Sacramentô reconciliationis conciliaret Filio,
Dignos Matris dolorosæ patrociniô.
Tam præclarè de se meritum
Amantem, & doloribus suis condolentem filium,
An in mortis doloribus deserere potuit Mater suorum amantissima?
Absit! id existimes:
Adfuit, confide! robore suo, & præsidiô
Quæ, ut adesset,
Ultimis morientis vocibus,
Quæ JESUM & MARIAM piissimè sonabant,
vocabatur.
Hoc defensus præsidiô
Emisit spiritum,
Vita beatiore donandum.

3. Augusti.

E foro Ecclesiastico progressa ad civilem mortis inclementia,
Virum, cui primas pro merito detulit æquitas,
Communi omnium mortalium fato involvit
Est Is

Prænobilis, Generos. Doctiss. ac Consultiss. D. Franciscus Wilpert, Regiæ Urbis Olomucensis Primas, Almæ Congregationis nostræ ex ultima voluntate Benefactor.

Hunc
Glogovia in Silesia major luci publicæ dedit,
Mansvetioribúsque disciplinis excoluit,
Excultum lætô animô excepit Olomucium,
Et reddidit Philosophum,
Urbs Bohemiæ Princeps Juris Consultum.
Nempe:
Patriâ majorem adhuc gessit animum, eandem linguens,

Bene gnarus Sapientiæ amanti esse Patriam quamvis mundi plagam
Bohemiam inter, & Silesiam litigiô disceptantem,
Suum dixit Moravia,
Et variis cum laude, & boni publici emolumento exactis muniis,
Nunc etiam sibi dolet ereptum.
Sensêre in Viro hoc uno, sed pluribus nato,
Miseri Advocatum,
Pauperes Patronum munificum,
Iniquè læsi æquum arbitrum,
Facinorosi justum judicem,
Res arduæ Consulem,
Consules ipsi nomine, & omine Primatem.
Non mirum,
Eum ex justitiæ legibus cuique suum tribuisse
Qui adorando soli Justitiæ, farris nube tecto,
Ter quot annis thronum, suum dicavit domicilium,
Vir pii, æqui, justique tenax.
Nec in his stitit Viri singularis probitas
Ut de DEO, & proximo mereretur præclariùs,
Non solis curis forensibus animum plurium capacem arctari passus,
Curas suas Ecclesiarum etiam bono libens, voléns que addixit,
Quarum proventus annis 26. peculiari auxit industriâ,
Peculiô augendô intentus,
Quod divino impenderetur cultui,
De suo minùs solicitus,
De quo liberali manu erogavit in pauperes cumprimis Religiosos,
Quos vel moriens in partem relictæ hæreditatis venire jussit,
Mirandus, & imitandus Oeconomus.
Tam multis intentus singula magnô curavit studiô
Partes muniorum omnes ità implevit,
Ut expectationem etiam superaret.
Testem hujus agit, agétque futuris deinceps sæculis
Tabularium urbicum,
Cujus tabulas, invictâ multorum annorum patientiâ,
In utilissimum, & ad posterorum memoriam necessarium
redegit ordinem.
Sic cereæ adinstar candelæ, dum aliorum emolumento fulsit,
Se ipsum consumpsit,
Genuinus Magnæ Matris filius.
Onustus meritis, exhaustus viribus, diem suum obiit,

27. Nov.
Et

Et ad vitam meliorem abivit;
Laborum præmia recepturus.

Tribus his nondum omnem exſaturavit rabiem mors truculenta;
In forum denuò irruit Eccleſiaſticum,
Virúmque ſummum dejecit in tumulum.
Nomen quæris? Eſt:

Reverendiſſimus & Illuſtriſ D. D. Caſparus Florentius de Glandorff, Cath. Eccl. Olomucen. Prælatus Primus Infulatus, & Decanus.

Illuſtre hoc Nomen dum audis,
Fortiſſimum, & de Eccleſia meritiſſimum Athletam intellige,
Cujus ſub labaro omnem militavit ætatem;
Inauguravit illum virtus inter ſacra conſpicuum,
Sapientia in orbis urbe mirata eſt Theologum Eximium,
Infulata dignitas non ſummum fecit, ſed invenit.
Emenſus honorum gradus ſupremum Reverendiſſimi Capituli conſcendit,
Non ut dignus eſſet,
Sed quia erat.
Non dignitatem illi Infula contulit,
Sed Authoritatem,
Cui ante ſuffragia jam merita honorem obtulerant infulatum.
Altô cum poteſtate locatus faſtigiô Decanus Reverendiſſimus
Quàm imperii parcus,
Tam exempli irreprehenſibilis erat prodigus,
Manſuetudine æqualis omnibns, humilitate etiam inferior,
Solo munere ſuperior videbatur.
Eſt hic verus gloriæ apex,
Invitum apparere:
Cùm tota laudabiliter factis emineant in vita,
Divinum quid habent modeſti Virorum Illuſtrium animi
Ponunt & ipſi tenebras latibulum ſuum,
è quibus tamen, ceu ſoles nubibus intercepti,
Radios evibrant clariores,
Dignitatis faſtigiô poſiti ſupra multos
Submiſſione eunt infrà omnes.
Talem ſemper ſuſpexit Reverendiſſ. & Illuſtr. Caſparum Florentium
Quis quis Virum ſummum pro merito æſtimare novit.
Hinc non mirum
Humaniſſimo, digniſſimóque capiti
Impoſitam fuiſſe prima cum poteſtate Infulam.

Hanc tamen non sic adamabat,
Ut eandem amittere unà cum resecto capite vereretur
Si Ecclesiæ discrimen quodpiam postulâsset.
Nimirum:
Pro hujus immunitate stabat athleta fortis, constans, intrepidu
Imitatorem diceres
Magni illius Cantuariæ Præsulis,
Ad sanguinis usque profusionem pro Ecclesia decertantis:
Ità non illi animus, sed hostis, qui caput ferrô peteret, defuit.
Hac ratione pro tuenda Ecclesia certare anhelantem
Mors quodam modo voti damnâsse visa est,
Dum Virum hunc Magnanimum ipsa in Ecclesia
Ministerio divino pro more vacantem ictu apoplectico stravit,
Infulam, pedúmque cum vita eripuit.
Luxerunt Virum Maximum Cleri Ordines,
Deplorârunt Cives,
Non quasi infelici fatô repentè oppressum:
Neque enim poterat fato meliori mori,
Ingentibus pro DEO, & Ecclesia positis meritis, cœlo maturus;
Sed velut præmaturè sibi, & Ecclesiæ ereptum. 31. Dec.
Mirare Viri tanti meritum!
Gratulare æternum prœmium!
Sequere virtutis exemplum!

Ut inter mortales liberius mors grassaretur,
Eum, qui plurimos felici peritiâ ab instante morte vindicavit,
Moriendi legi subjecit.
Nimirum:
Prænobilem, Doctissimum, ac Excellentissimum D. Joannem
Baptistam Tranconi, AA. LL. Philos. & Medicinæ Doctorem,
Inclytorum DD. Statuum Marchionatûs Moraviæ Physicum.
In Illo
Pueritiam, an Juventutem,
An præ his virilem encomiô celebres ætatem?
Meritò dubites:
Ità tota vita laudationis est materies.
In pueritiam inquiris?
Nisì annorum paucitatem in calculum voces, vix inveneris:
Sic morum honestate, pietate, politiorum literarum profectu,
Virtutibus vel à puero antecellens,
Ætatem superare visus est.
De juventute percontaris?
Severiorum disciplinarum scientia haud vulgari, Ca-

Castísque, & inculpatis moribus instructa,
Admirationem aliorum meruit.
Virilem ætatem scrutaris?
mnum florens summorum, imorum, ordinum omnium
Sibi conciliavit amorem.
Nihil in Viro Excellentissimo repereris, nisì excellens;
Conversationem suavem, & amabilem; sed cautam, & circumspectam,
Sermonem affabilem; sed prudentem,
Vitam hilarem; sed intaminatam, & cœlibem,
Angelicæ virtutis nitore decoratam.
Virum adeò moribus probatum
Et singularî peritiâ medicâ tum in Austria, tum in Italia instructum,
Ac in primarum insuper Italiæ urbium nosocomiis feliciter versatum,
Jure patrio Bruna suum voluit Medicum,
Ut ubi vitam cœpisset ipse, pluribus vitam servaret.
Et verò
Servavit pluribus, jam in confinio mortis constitutis,
Cùm certatim evocatus
Incredibili charitate noctu, diúque solertem operam impendit
Nobilibus æquè, ac ignobilibus,
Pecuniosis, & pauperibus,
Pari, & infatigabili alacritate peritiam suam addixit;
His insuper pharmaca propria, aut aliunde procurata
Absque pretio ministravit:
Meritissimus urbis, quin Provinciæ totius, & Inclytorum Statuum
Marchionatûs Moraviæ Physicus.
Tam feliciter morti illudentem in aliis, à periculo vindicatis
mors, nè vinceretur, morbô non petiit;
Sed efferatis equis ad se raptatum tumulo injecit.
Non querulare Virum tantum fatô miserô excessisse,
Sed gratulare ex voto diem obiisse,
Morte nimirum, ùt optabat frequentiùs, bonâ, & repentinâ;
Utrumque obtigisse, & casûs, & vita docuit,
Pietas, & conscientiæ teneritudo manifestum fecit,
Quibus incitantibus pridie obitûs Sacrâ Confessione expiatus,
Et inter lacrymas, intensissimósque affectus SS. Eucharistiâ refectus,
Optimè comparatus votorum terminum attigit. 2. Maji 1752.
Quod si tamen dolorem adfert Viri amissi memoria,
Illud dole!
Bonorum plerumque avara circumscribere tempora,
Ut
Seu fata, seu vota spectes,
Optimis quibusque gloriæ plurimùm,

Virtu-

Virtuti abunde,
Suis nunquam satìs vivere
Concedant fata.

Grandia adhuc supersunt Nomina,
Laudatione omnino dignissima,
Eorum cumprimis,
Qui ultima etiam voluntate
Se Mariani honoris ampliandi cupidos clientes,
Collatô in Sodalitatem beneficiô probavêre,
Sunt hi:

Adm. Rev. Doctis. ac Præcell. D. Bernar. Pilotti AA. LL. & Phil. Mag. SS. Theol. Baccal. Form. Tannovicensium Parochus, Presb. Jubilatus, obiit ibidem 22. Aug. 1751.

Adm. Rev. Doctis. ac Præcell. D. Matthæus Heintrich AA. LL. & Phil. Magist. SS. Theol. Baccal. Form. Pausramensium Parochus, obiit ibidem 13. Octobris.

Adm. Rev. Doctis. ac Præcell. D. Urbanus Schön, AA. LL. & Phil. Mag. SS. Theol. Baccal. Form. Czeikovicensium Paroch. obiit 18. Novemb.

Horum, aliorúmque merita tanta cùm sint,
Ut pro dignitate celebranda menses, non horam exigant,
Fastis beatæ (quam gratulamur) æternitatis
transcribo.

Et verò ultrà etiam eloqui volentem, nec temporis contracti angustia finit, nec argumenti tractandi necessitas exigit. Spectâsti Senatus, Populéque Mariane Sodalium tuorum, vitâ functorum, virtutes, & merita, non ignoras gloriosæ cœlorum Reginæ Matris viventium incredibilia in clientes, ac filios suos beneficia, meritis etiam majora; quid superest? nisi ut supremo vitæ, & mortis Arbitro, salutis Authori, largitoríque DEO, Optimo, Maximo; secundùm hunc autem Vitæ Parenti, Salutis Matri MARIÆ immensas pro tanto munere redhibeamus gratias, suppliciter exorantes, ut qui tantæ Matris gaudemus patrociniô, pari subinde æternæ vitæ potiamur prœmiô; interim tamen imitari non pigeat, quod ad DEI gloriam Beatissimæ semper Virginis amorem laudare, & celebrare delectat

D I X I.

45
16
4
65

4 15
5 15
2 6
1 6
13 6

40 adama. 46 20
12 galon
4 mereynus
4 galonek
6 robota
16 Goldsey
67 21.

65
15
82
46
36